

cunt Paulum loqui de bonis operibus quæ Abraham ante fidem habuit, virtute quadam naturali, quæ apud Deum non erant meritoria, nec poterant justificare, et ideo dicuntur non habere gloriam apud Deum, licet alioqui apud homines essent digna laude, non falsa, sed ea quæ ex natura rei bonitatem quamcumque operis moralis comitatur, ut tradit D. Thom. 1. 2, quæst. 21, artic. 2. Est enim homo dignus laude, eo ipso quod bene operetur, nam si operatio sit ex sola natura, licet libere fiat, laus illa pertinere potest ad quamdam gloriam humanam, non tamen ad habendam gloriam apud Deum, et ita verba illa assertionem nostram potius confirmant quam oppugnant.

45. *Comprobatur jam assertio hujus capituli posita in numero 4, ex loco Pauli hactenus explicato. — Confirmatio assertionis ex Rom. 2. — Juxta hanc ergo satis probabilem, ac receptam, valdeque planam, verbisque Pauli coherentem expositionem, multum quidem suadet ac confirmatur assertio posita. Quæ simul auctoritate Patrum comprobata est; omnes enim qui hanc expositionem approbant et præferunt aliis, a fortiori doctrinam ipsam tanquam veram supponunt. Augustinus vero, qui alteram expositionem anteponebat, fatetur hanc expositionem esse probabilem, et sine ulla suspitione Pelagiani erroris defendi posse, quod esse non posset, nisi doctrina ipsa vera esset. Augustinum item in hoc sicut in aliis imitatus est Prosper. Fulgentius vero licet in eo capite, ubi exponit locum Pauli, nihil de hujus nostræ expositionis probabilitate dixerit, nihilominus statim, capite 26, doctrinam ipsam confitetur; nam loquens de iniquis hominibus qui, vel cognoscentes Deum, non sicut Deum illum glorificant, et qui in operibus suis aliquid bonitatis servant, ad finem vero charitatis illud non referunt, adjungit: *Quibus aliqua quidem bona, quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse possunt, sed quia non charitate Dei fiunt, prodesse non possunt.* Præterea obiter auctoritate Pontificia ostensum est nullam in hac expositione esse suspensionem Pelagiani erroris. Quod iterum confirmarunt iidem Pontifices Pius et Gregorius, damnando 29 propositionem Baii, in qua dicebat: *Pelagianum esse errorem dicere quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum,* et 36, in qua dicebat, *cum Pelagio sentire qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.* Cum enim istæ propositiones Baii*

sint hypotheticæ, Pontifices, illas rejiciendo, in rigore potuerunt illas damnare solum propter excessum notandi doctrinam illam Pelagiani erroris. Ergo ut minimum decernunt Pontifices nostram sententiam esse ab omni suspitione Pelagianismi immunem. Hoc autem satis est ut sit contrariæ præferenda, et tanquam simpliciter vera defendenda, cum alias sit magis consentanea Scripturis et Patribus, et ratione fere evidenter ostendatur, ut statim dicemus.

46. *Et ex censura contra propositiones Baii. — Accedit quod idem Michael Baius, in propositione 37 simpliciter, et sine censura vel alia exaggeratione docet, omnem amorem naturalem creaturæ rationalis, qui non est ab Spiritu Sancto infundente charitatem, esse vitiosam cupiditatem, quod et in aliis propositionibus, præsertim 34 et 35, judicaverat; et tamen Pontifices eadem generali censura illam doctrinam condemnarunt; ergo ad minimum censent hanc nostram sententiam esse adeo probabilem, ut temerarium vel scandalosum sit, ut peccaminosum damnare omnem naturalem voluntatis affectum, seu amorem, qui ex gratia Spiritus Sancti non proficiscatur, in quo sine dubio multum huic sententiæ favent. Quod etiam inde confirmatur, quia, cum idem auctor proposit. 28 sine censura etiam vel exaggeratione dixerit: *Liberum arbitrium, sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet,* sub eadem censura a Pontificibus rejicitur, quia revera his temporibus propter Lutherorum errores talis loquendi modus Catholicos offendit. Ergo virtute approbant contradictoriam propositionem, scilicet, liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio aliquid potest facere, quod peccatum non sit. Ex quo facile infertur posse etiam aliquid facere, quod bonum morale sit. Neque audienda est evasio quorundam dicentium, ad tuendam sententiam Pontificum, satis esse quod possit liberum arbitrium facere aliquid indifferens. Hoc (inquam) frivolum valde est, quia secundum Augustini et D. Thomæ sententiam communius a Theologis probatam, non datur in voluntate libere operante actus indifferens in individuo, et ideo, secundum veram Theologiam, recte sequitur, si liberum arbitrium potest sine gratia non male operari, posse etiam bene. Et quamvis hæc illatio non sit evidens propter contrariam opinionem de actu indifferente in individuo, quæ non caret sua probabilitate, nihilominus verisimile non est Pontifices damnasse illam propositionem Baii, fundatos in tali opinione*

de indifferente actu possibili, vel propter illius probabilitatem.

47. *Confirmatur deinde argumentando ab actu indifferente. — Præterea est manifesta ratio, quia si liberum arbitrium sine adjutorio gratiæ valet ad faciendum actum qui peccatum non sit, sed indifferens, etiam valere poterit ad faciendum aliquem actum moraliter bonum; quia, si potest facere actum indifferens, ergo potest velle aliquid indifferens sine malo fine, et sine mala circumstantia; nam si actus in specie indifferens fieret propter malum finem, jam non esset in individuo indifferens, sed malus; ergo etiam poterit facere actum ex objecto bonum sine pravo fine; ergo potest facere actum bonum moraliter. Probatur consequentia, quia si voluntas potest pro sola libertate velle objectum indifferens, propter aliquam naturalem commoditatem indifferens, cur non poterit velle objectum honestum propter naturalem honestatem. At vero actus ex objecto bonus, et carens malo fine, simpliciter est bonus; nam in aliis circumstantiis, minus periculi deformitatis vel malitiæ invenitur; ergo si liberum arbitrium potest non facere actum malum propter indifferens objectum, poterit etiam facere actum bonum propter objectum moraliter bonum, nullam ei addendo circumstantiam malam.*

48. *Et ratione a priori. — Et hinc concluditur ratio a priori hujus veritatis, quia talis actus non est per se impossibilis libero arbitrio gratia destituto, nec semper est in individuo propter extrinseca impedimenta adeo difficilis, ut ad vincendam difficultatem sit semper, et in singulis hujusmodi actibus, adjutorium gratiæ necessarium: ergo non est cur interdum fieri non possit a libero arbitrio sine adjutorio gratiæ. Antecedens quoad priorem partem evidens est, quia talis actus est in substantia naturalis, quia est de objecto materiali et formali proportionato, et inclinationi, ac viribus naturalibus liberi arbitrii; et cognitio talis objecti, judiciumque conscientiæ sufficiens ad talem actum efficiendum etiam est naturale, et proportionatum naturali luminis intellectus, ac principiis quæ homo ex objectis sensibilibus, et per species ab illis acceptas naturaliter cognoscere potest; ergo ex nullo capite actus ille est per se impossibilis naturalibus viribus liberi arbitrii. Altera vero pars non indiget probatione, quia experimento satis constat: sæpissime enim contingit nullam occurrere difficultatem peculiarem in exercendo aliquo actu virtutis, vel misericor-*

diæ ad inopem, reverentiæ, vel obedientiæ ad parentes, etc. Imo interdum homo, vel ex generali conditione naturæ, vel ex peculiari et individua inclinatione, vel ex consuetudine et bona educatione, est satis propensus in hujusmodi actus, et alioqui cum impedimenta sint accidentaria et contingentia, non semper occurrunt. Ergo nulla ratio reddi potest tantæ impotentiae vel difficultatis in omnibus et singulis actibus hujusmodi, ut nunquam possit aliquis sine auxilio speciali gratiæ per liberum arbitrium fieri.

49. *Ac denique argumentando ab statu naturæ integræ ad lapsam. — Atque hic discursus probat generaliter tam in statu naturæ lapsæ, vel puræ, quam in statu integræ naturæ, de quo assertio multo magis communis et recepta, et cum majori ampliatione, ut in sequentibus videbimus. Nunc vero quoad præsens punctum de aliquo vel aliquibus actibus, ab statu naturæ integræ ad lapsam sumitur efficax argumentum, quia difficultates et impedimenta bene operandi, quæ ex lapsu naturæ humanæ ortæ sunt, non semper et in singulis actibus operis difficultatem adeo augent, ut propter illam solam necessarium simpliciter sit auxilium gratiæ ad singula moralia opera ordinis naturalis, ut ostensum est. Quia vero hic discursus diversis modis eluditur, juxta diversos modos explicandi auxilium gratiæ ad hos actus necessarium, ex quibus etiam ortum est, ut aliqui non tantum in statu naturæ lapsæ, sed etiam integræ, imò non solum in humana natura, sed etiam in Angelica, auxilium gratiæ ad singulos bonos actus requirant: ideo ad plenioris assertionis probationem, et ejus discursus confirmationem per singulos modos et opiniones affirmantes necessitatem talis auxilii discurrendum est, et quam sine fundamento loquantur, ostendendum.*

CAPUT IX.

IN NULO STATU ESSE NECESSARIAM HOMINI AD HONESTAM OPERATIONEM MORALEM ORDINIS NATURALIS SPECIALEM MOTIONEM, VEL QUALITATEM IPSI VOLUNTATI A DEO IMPRESSAM, QUÆ ET PHYSICE ACTUM EFFICIAT, ET VOLUNTATEM AD ILLUM EFFICIENDUM OMNINO DETERMINET.

1. *Prima sententia et opinio tractatur. —* Primus modus explicandi gratiam necessariam ad singula bona opera moralia, fuit Gregorii 2, dist. 28, quæst. 1, concl. 1 et 3, maxime ad 42, qui dixit, existente cogitatione et judi-

cio practico hominis de objecto bono honesto præsentato voluntati, non posse hominem solo libero arbitrio cum concursu generali Dei se determinare ad bonum illud bene seu virtuose volendum, sed necessariam esse specialem Dei motionem gratis a Deo impressam voluntati, quæ sit qualitas quasi transiens, vel alia similis entitas quæ et physice cum voluntate talem actum efficiat, et voluntatem ipsam ad illum studiose præstandum juvet atque determinet, ita ut sine illo adiutorio non possit voluntas facere talem actum, et ibi posito non possit aliter operari. Distinguit autem Gregorius hanc motionem a generali concursu; tum quia non est generalis, sed specialis tantum ad opera bona et libera; tum quia in re ipsa concursus non distinguitur ab actione creaturæ, hæc autem motio est res ab illa distincta; tum quia per solum concursum facit Deus actum liberi arbitrii, non tamen determinat voluntatem creatam, nec facit ut faciat, ut patet in actibus malis: per hanc autem motionem determinat voluntatem hominis ad actum bonum, et facit ut faciat illum. Unde concludit hanc motionem non esse debitam, quia non est simpliciter necessaria ad operandum, ac subinde esse specialem gratiam. Nam Deus solum debet generalem concursum; ergo quando addit hanc motionem, gratis illam confert tanquam speciale donum; est ergo gratia et speciale beneficium, saltem quoad modum. Atque hanc opinionem secutus est Capreol. in eadem dist. 28, art. 1, concl. 2, et art. 3, ad argumenta contra illam; et Hispalens., art. 3, notab. 1 et 2. Videturque idem sequi Dionysius Cisterc., in 1, dist. 17, quæst. 1, art. 1, concl. ultim., latius in 2, dist. 25, quæst. 1, art. 2; dicit enim liberum arbitrium non sufficere ad aliquam bonam actionem, sicut sufficit ad malam, sed indigere speciali auxilio; non vero explicat modum istius auxilii, refert tamen Gregorium, et ita videtur ejus sententiam sequi. Quam etiam tenet Major 2, dist. 28, q. 1, concl. 2 et 3, ubi eodem modo loquitur. Sic etiam refertur pro hac sententia Romæus, libro de Libert. oper., verit. 14 et 15, et alii, qui, ut opinor, in aliis sensibus locuti sunt, ideoque eorum sententiam in sequentibus capitulis tractabimus.

2. *Ratio propria pro sententia proposita.* — Habet hæc sententia quædam fundamenta cæteris opinionibus, quas non probamus, communia, quæ ab auctoritate sumuntur, eaque post nostræ sententiæ confirmationem, et alia-

rum opinionum confutationem, expendemus. Unica ergo videtur esse ratio Gregorio maxime propria, quæ jam est tacta in superioribus; quia non potest actus esse bonus, nisi in debitum finem referatur; non potest autem referri in finem sine gratia; nam debitus finis est, ut propter gloriam Dei fiat, ad Coloss. 3; hic autem finis naturam superat: ergo. Atque hæc ratio habet fundamentum in Augustino, lib. 1 de Gratia Christi, capite vigesimo sexto.

3. *Rejicitur dicta sententia.* — *Primo, quia destituitur auctoritate.* — *Secundo, quia destituitur ratione.* — Hæc vero sententia communiter refellitur ab auctoribus quos in sequentibus capitulis referam; et mihi displicet, falsaque videtur. Primo, quia rem occultissimam et obscurissimam affirmat sine ullo auctoritatis vel antiquitatis fundamento, quod vel ex Scholasticis Theologis, qui Gregorium præcesserunt, vel ex Augustino, aut aliis Patribus, vel Conciliis sumi possit. Quod patet: nam etiam ad actus supernaturales talem modum gratiæ non requirunt, sed excitantem et adjuvantem gratiam, quæ longe diversæ sunt; ergo multo minus ad naturales. Consequentia evidens est; de antecedenti vero multa dicenda sunt infra, tractando de gratia efficaci. Secundo, destituta est illa opinio omni ratione fundata intrinseca natura rei. Quæ enim reddi potest causa hujus necessitatis magis ad actum bonum, quam ad actum malum? Nam hæc causa non potest sumi ex subordinatione, quam voluntas nostra habet ad Deum, tanquam causa secunda ad primam; nam eandem subordinationem et essentialiam dependentiam habet in eliciendo actu malo, quam habet in eliciendo bono, juxta catholicam doctrinam Theologorum omnium, uno excepto Durando, cujus sententia tanquam erronea rejicitur in 1. 2, quæstione 79. Neque potest illa causa sumi ex libertate et indifferentia voluntatis, ratione cujus videatur indigere determinari ad aliquid definite volendum; nam eandem indifferentiam et libertatem habet respectu actus mali, et tamen ad illum determinatur cum vult sine determinante extrinseco secundum Gregorium; ergo est par utriusque ratio. Nec denique reddi potest causa ex ipsa differentia actuum; quia, licet sit unus melior alio, tamen uterque continetur sub naturali ordine, et habet talem proportionem ad naturales vires voluntatis, ut non excedat illas in ratione principii proximi; alioquin non esset actus naturalis, de quo tractamus, sed supernaturalis; nam in hoc fere consistit

ratio supernaturalis actus, ut infra videbimus. Neque video quod aliud caput excogitari possit unde illa differentia nascatur; ergo nulla ratione fundatur.

4. *Tertio, ab inconvenienti duplicis difficultatis.* — *Prima difficultas.* — *Secunda difficultas.* — Tertio, habet illa sententia duas difficultates, quas in hac materia sæpe inculcare soleo, et in sequentibus late urgebo. Prima est, quia si illa motio est necessaria ad volendum bene, et alicui non datur, ut non raro evenit, quomodo, quæso, habet libertatem ad talem bonum actum eliciendum? Nam si ego non habeo necessaria principia volendi, nec est in manu mea ut obtineam principium aliquod necessarium ad talem actum, profecto nec velle possum, neque simpliciter potestatem habeo, multoque minus moralem; in eo autem, quod non possum, liber non sum, quia libertas dicit potestatem ad utrumque. Nec responderi hic potest, licet non habeam illam motionem, posse illam habere, et per me stare quominus habeam. Quid enim faciam, ut habeam motionem quæ mihi non datur? Maxime enim deberem aliquid boni facere; at vero ad illud indigeo ipsa vel alia motione, juxta hanc sententiam; at nulla datur, ut supponimus: erit ergo impossibilis homini et actus bonus, et motio ad illum, quando ex se Deus illum non dat, et plane contingit in omnibus qui actu peccant. Secunda difficultas est, quomodo is cui datur hæc motio, habeat libertatem quoad exercitium in actu illo efficiendo? Quia nec impedire potest motionem, si Deus illam dat, nam in illa recipienda mere passive se habet, neque, illa recepta, potest non agere, nec suspendere influxum suum, utrumque enim Gregorius fatetur. Ex illis autem duobus principii sequitur necessitas simpliciter, quia est inevitabilis per liberum arbitrium, et antecedens cooperationem ejus. Quæ nunc sufficiat attigisse, infra enim in graviori disputatione de gratia efficaci copiosius tractanda sunt.

5. *Vera sententia insinuat.* — Concludo igitur voluntatem humanam posse bene moraliter intra ordinem naturæ operari, sequendo dictamen aliquod rationis naturalis, sine speciali principio physico addito naturalibus potentiis hominis, et distincto a generali Dei concursu. Hæc est communis sententia Theologorum, quos infra referam, et, iudicio meo, convincitur secunda et tertia ratione contra Gregorium factis. Eamque latius probavi, 1 part., tract. 2, lib. 2, cap. 15; et ideo nihil addere necessarium iudico, præsertim quia ex

dicendis contra alias sententias hæc pars amplius confirmabitur.

6. *Ad rationem pro Gregorio in numero 2.* — Neque ratio Gregorii vim habet, quia illi satisfactum est in capitibus præcedentibus, ubi ostendimus relationem ad finem supernaturalem, vel supernaturaliter cognitum, non esse necessariam ad honestatem moralem operis naturalis ordinis. Imo nec propria relatio operis in Deum, formaliter, vel virtute, facta per actum elicitum ipsius operantis, necessaria est ad honestatem moralem naturæ sufficere, ut dixi. Alia vero Gregorii argumenta aliis opinionibus communia sunt, et in sequentibus tractabuntur, ut dixi.

7. *An prædicta motio sit possibilis, et utilis, esto de facto non detur.* — *Respondetur affirmative, si motio ponatur subjecta usui libero.* — *Secus vero si ita subjecta non ponatur.* — Quæri autem potest an illa motio quam ponit Gregorius, esto necessaria non sit, possit a Deo cum utilitate accipientis tribui. Respondeo duobus modis cogitari posse motionem illam, primo, subjectam libero usui voluntatis, secundo ita dominantem voluntati, ut illi non possit resistere. Priori modo non videtur dubium quin sit possibilis et utilis. Possibilis quidem, quia nulla ostenditur repugnantia seu implicatio contradictionis, sive talis impressio fiat per modum habitus, sive per modum qualitatis transeuntis, ut est vulgaris opinio, de qua nunc non disputo, in sequentibus enim locus commodior occurret. Utilis autem erit talis motio, quia inclinabit voluntatem ad honestum, et augebit efficacitatem ejus, et non tollet libertatem, quia ponitur subjecta usui ejus, quæ subjectio in hoc consistit, ut, illa posita, sit in manu voluntatis elicere vel non elicere actum ad quem illa inclinatur. Cum enim illa ponatur distincta ab actu, et principium ejus, nihil obstat quominus, illa posita, non sequatur actio voluntatis, propter libertatem ejus. Gregorius vero alio modo posuit motionem illam, scilicet, ut necessariam ad bonum opus, et ut necessitatem quamdam compositam (ut vocant) et antecedentem, inferentem voluntati, quia, illa motione posita, necesse est ut consentiat. Hoc autem modo censeo illam non esse possibilem cum utilitate morali, quia censeo tollere libertatem a qua omnis moralis utilitas pendet, ut constat. Motionem autem illam inferentem necessitatem antecedentem, libertatem tollere, probatum est in tertia ratione contra Gregorium, cui nihil hactenus

responsum est, quod intelligi satis possit, ut iterum in sequentibus ostendam. An vero sit possibilis talis motio, saltem tollendo libertatem actus et moralem utilitatem, necessitatem inferendo voluntati, in prolegom. 1, c. 4 et 5 disputatum est.

CAPUT X.

AD SINGULA OPERA BONA MORALITER NON ESSE NECESSARIAM COGITATIONEM, VEL INSPIRATIONEM IN SUA ENTITATE MAJOREM, SEU MELIOREM, QUAM SINE AUXILIO GRATIÆ HABERI POSSET.

1. *Opinio contraria assertioni tituli.* — Tractanda sequitur altera opinio, quæ ad omnes et singulos actus morales naturalis ordinis requirit specialem gratiæ motionem divinitus additam intellectui, vel voluntati, ultra omnem cogitationem et præviam motionem, quæ per causas naturales fieri possit. In quo convenit hæc sententia cum præcedenti, et præterea in hoc quod ponit hanc motionem ut distinctam ab actu libero voluntatis consentientis, et a concursu generali Dei, qui in ipso actu essentialiter includitur, et non censetur pertinere ad gratiam, sed esse debitum naturæ. Differt autem hæc sententia in multis a præcedenti. Primo, quia ponit hanc præviam motionem in aliquo actu vitali intellectus vel voluntatis, quæ sit vel cogitatio boni honesti, vel aliqua specialis illuminatio circa talem cogitationem, vel suavitas aliqua indita voluntati per modum simplicis affectus. Gregorius autem non ponebat motionem vitalem (ut sic dicam) sed impulsus quemdam a solo Deo voluntati, sine efficientia ejus, impressum. Secunda differentia est, quia Gregorius ponebat illum influxum ut per se efficientem physice actum bonum voluntatis; hæc autem opinio non tribuit hanc physicam efficientiam illis actibus præviis, quia censet voluntatem cum concursu generali esse sufficiens principium physicum talis actus, sed requirit illam motionem ut moraliter inducentem et attrahentem voluntatem. Tertio differunt, quia hæc opinio non dicit voluntatem determinari omnino ab illa motione ex natura ejus, sicut Gregorius de sua motione fingeat.

2. *Opinio explanatur.* — Hanc ergo specialem motionem moralem requirit hæc opinio ad singulos actus bonos, quia, licet præcedat in intellectu aliqua naturalis cogitatio boni honesti, particularis et practica, a sensibilibus objectis cum concursu generali Dei excitata,

et de se alliciens voluntatem ad tale bonum amandum, nunquam voluntas talem amorem vel actum bonum sine aliqua morali culpa eliciet, nisi Deus speciali modo, et ultra naturalem activitatem externorum objectorum intellectum illuminet aut dirigat, vel efficacius excitet, vel voluntati specialem boni dilectionem, vel affectionem imprimat, et tollat impedimenta quæ determinationem voluntatis possent impedire. Et ideo vocat hæc opinio hanc motionem specialem gratiam adjuvantem, necessariam ad singulas operationes honestas, ita ut voluntas, si illa gratia careat, infallibiliter peccet. Dici autem potest illa gratia naturalis in substantia, seu ordinis naturalis; tum quia per se nec ad supernaturalem finem ultimum, aut proximum, neque ad supernaturalem actum ordinatur; tum etiam quia non repugnaret fieri per causas naturales, si ad illum effectum fuissent dispositæ et applicatæ. Et nihilominus vocari potest gratia supernaturalis quoad modum, quia et datur sine proprio debito, quod in ipsa natura vel in dispositione cansarum naturalium præcedat, et consequenter datur modo præternaturali, quia tunc non occurrebant causæ secundæ a quibus effici posset. Neque est dubium quin hoc genus gratiæ sit possibile, et si detur, fore valde utile ad bene operandum; quod vero sit etiam necessaria ad singula bona opera moralia in præsentis statu naturæ lapsæ, prædicta opinio affirmat; intelligi autem debet, nisi Deus altiore modum auxilii et gratiæ ad eadem opera efficienda conferre velit, ut per se clarum est.

3. *Tribuitur Marsilio, sed immerito.* — Hæc sententia tribui solet Marsilio 1, quæst. 20, art. 3. Sed si attente legatur in dubio 1 tota concl. 4, præsertim in versiculo *Ad hanc rationem*, et tota concl. 5, solum requirit illud speciale auxilium ad operandum honeste semper vel regulariter, et vincendum graves tentationes, non vero ad singula opera. Imo, respondendo ad rationem quamdam factam contra necessitatem talis auxilii, inquit: *Quamvis ita sit, sicut assumitur quoad aliqua, scilicet, quod Deus, dando naturam animæ intellectivæ, simul dat lumen naturale ad desiderandum, et assentiendum vero, et inclinationem ad bonum, Deo dirigente per influxum communem*, etc. Post peccatum vero (dicit infra) non sufficere hunc influxum communem, quia natura lapsa non est tam potens in naturalibus sicut integra: *Alias (inquit) posset nunc resistere omni tentationi, sicut antea poterat.* Non ergo

loquitur de singulis operibus, nec totus discursus ad hoc deducit.

4. *Tribuitur Clithov. et Roffen., qui tamen explicantur.* — Magis videtur huic sententiæ assentire Clithov. in Damasc., l. 2 de Fid., c. 30. Dicit enim cum Leonardo Aretino, Dial. de Moribus, quem citat, *omne opus bonum a Deo esse ut præcipuo auctore.* Quod sane, cum distributione accommodata, verissimum est; postea vero videtur explicare de Deo ut specialiter illuminante et adjuvante per gratiam. Idem clarius Roffen., art. 36 contra Luther., § *Neutrum sane potest*, et § *Verbosus*, et § *Quantum*; quia putat alias sequi posse hominem sine gratia per solum liberum arbitrium ad gratiam preparari, saltem remote et de congruo. Quod tamen non sequitur, ut 1 p. dixi, et in sequentibus latius est ostendendum.

5. *Tribuitur denique Castro; cujus mens aperitur.* — Eadem sententiam sequitur Castro contr. Hær., verb. *Gratia*, hær. 1, ubi hanc conclusionem 3 ponit, quam catholicam appellat: *Liberum hominis arbitrium, ex sola sua potestate, addita etiam illi communi, et generali Dei concausatione, non potest sine aliquo Dei speciali auxilio bonum aliquod operari: quoniam semper circa illud præcedit quedam munitio et attractio, aut inspiratio, vel aliquod donum naturæ superadditum, quod ipse Deus, quibus illi placet, donat;* ubi sine dubio loquitur de singulis operibus, et videtur etiam loqui de homine simpliciter, et in quocumque statu, nam ratio ejus ita procedit. In probationibus autem confuse valde loquitur, nam æque procedunt de supernaturalibus, vel meritoriis operibus, quam de naturalibus. Unde non improbabiler dici potest, solum de prioribus sententiam protulisse; tum quia viro sapienti mens censetur esse consentanea probationibus; tum quia solum docere intendit, quod catholicum est et necessarium ad confutandum errores, alias immerito conclusionem illam catholicam vocaret; tum quia in discursu declarat liberum arbitrium non posse sine speciali Dei motione operari aliquid vere bonum, in quo videtur alludere ad modum loquendi Augustini supra indicatum, et interius amplius explicandum. Et, ne quis dicat, per *vere bonum*, solum intellexisse opus ita bonum, ut nullam habeat circumstantiam malam, inferius ait sine gratia non posse hominem bonum opus facere, *quod ad vitam perducat æternam.*

6. *Testimonia sacra pro hac sententia, quia generaliter loquuntur, hic non urgent.* — Ratio

propria sumpta ex difficultate ad bonum in natura lapsa. — Fundamentum hujus sententiæ sumitur præcipue ex testimoniis Augustini, et Patrum, ac Conciliorum quæ post illum de hac materia locuti sunt: hæc vero, quia generaliter pro omnibus sententiis, quæ diversis modis hoc speciale auxilium requirunt, afferuntur, postea tractabuntur. Ratio vero sola est quæ resultat ex difficultate bene operandi post peccatum originale, quæ partim oritur ex fomite et concupiscentia, quæ semper infestat; partim ex ignorantie vulnere, ratione cujus homo vel ignorat quid agere expediat, vel leviter illud considerat, cumque objecta sensibilia et corporalia bona propinquius et vehementius moveant, difficillimum est, practice, recte et efficaciter judicare, et imperare operationem honestam, et puram ab omni macula; ideoque nisi Deus specialiter regat et dirigat gressus hominis, et illum ad bene operandum adjuvet, nunquam poterit actum undique bonum efficere. Aliæ rationes quæ hic afferri possent, communes sunt aliis opinionibus, et ideo illas nunc differo.

7. *Præcedens ratio consequenter valet in statu puræ naturæ.* — *Et in homine justo in statu naturæ lapsæ; non vero in statu naturæ integræ.* — Ex hoc vero fundamento, sequitur, auctores hujus sententiæ idem esse dicturos, si consequenter loquantur, de homine in statu purorum naturalium creato, quia in illo, per se loquendo, non esset minor ignorantia, nec major difficultas ex parte concupiscentiæ, ut supra probatum est: procederet ergo tunc eadem ratio, eademque necessitas locum haberet. Procedit etiam illa sententia non tantum in homine lapso in statu peccati originalis aut mortalis existente, sed etiam in homine lapso justificato, quia soli habitus infusi parum vel nihil minuunt difficultatem fomitis, nec juvant ad illam vincendam, nisi actu operentur, vel aliquod actuale auxilium illis addatur. Secus vero esset in statu naturæ integræ vel justitiæ originalis, sive includentis gratiam, sive non includentis, quia donum justitiæ originalis vel integritatis tolleretur dictam difficultatem, et ita cessaret ratio facta, et consequenter necessitas quæ ex sola illa oriri dicitur. Nam si affirmatio est causa adæquata affirmationis, negatio erit negationis, quod a fortiori constabit ex dicendis.

8. *Vera sententia cum suo fundamento.* — Nihilominus dico, sicut in titulo aperui, non esse necessarium tale auxilium speciale dicto modo explicatum ad omnes et singulas operationes